DE ADVENTU ODVACHAR REGIS CYROLS
ET ERVLORUM IN ITALIA ET QUOMODO REX
THEODERICUS EUM FUERIT PERSECUTUS.

Igitur imperante zenone augusto constanti
nopolim. superveniens nepos patricius ad portum
urbis rome deposuit de imperio glicerium. et factus
est episcopus. et nepos factus imperator rome. moxque ve
niens ravennam. Quem persequens orestis patricius.
cum exercitu metuens nepos adventum orestis.
ascendens navim fugam petiit ad salonam. et ibi man
sit per annos quinque. Postea vero a suis occiditur. Mox eo
egresso factus est imperator augustulus. Augustulus
imperavit annos x. Augustulus qui ante regnum ro
mulus a parentibus vocabatur. a patre oreste pa
tricio factus est imperator. Superveniens autem odoachar.
cum gente cyrols occidit orestem patricium. in pla
centia. et fratrem eius paulum. ad pineta foris classem
ravenne. Ingrediens autem ravennam deposuit augu
stulum de regno cuius infantie misertus concessit ei
sanguinem. Odoachar vero cuius superius fecimus
mentionem. mox deposito augustulo de imperio. factus
est rex mansitque in regnum. annos xiii. Cuius pater edico
dictus. De quo ita invenitur in libro vite beati
severini monachi intra pannoniam qui eum admonuit.
et predixit regnum eius futurum. Ita reperitur ad locum.
Quidam barbari cum ad italiam pergerent. pro
merende benedictionis ad eum intuitu dever
terunt. Inter quos et odoachar qui postea regnavit
italie vilissimo habitu iuvenis. Statura pro
cerus advenerat. Qui dum humillimum tecti cel
lule ne sua vertice contingeret et inclinasset.
a viro dei gloriosum esse forte cognovit. Cui

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_927/0241
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG